Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 557
Quelle:
Copyright:

ſic e noſtro Codice emendandum puto:

Numen ad ęthra ferens retro ciet omnia membra
A mortis tenebris &c.

Ceterum neque *Damaſi* eſſe, neque Aedi ſacrae συγχρονον hoc Carmen ex ipſo Conditricis nomine conjicias, quod *Conſtantia* non, *Conſtantina* fuit. 2) *Item Damaſi Pape Verſus De Eadem.* Puta *Agnete.* Verſus hos habes in *Bibl. PP. Lugd. p. cit.* hoc initio:

Fama refert ſanctos dudum genuiſſe parentes
Augmentum lugubris cantus tuba cum crepuiſſet &c.

Corrupta haec ſic reſtituo e Codice:

Fama refert ſanctos dudum fleviſſe parentes
Agnen, cum lugubres cantus tuba concrepuiſſet &c.

convocando videlicet, ut ait Gloſſa noſtra, *ad litandum idolis.* Pro *ſuperare* v. 6. etiam repono *ſuperaſſe*, et v. 7.

Nudam perfuſos crines et membra dediſſe,

ſic emendo:

Nudaque profuſum crinem per membra dediſſe,

mirorque editorem *Mart. Mileſium Sarazanium* non mage Lectoribus conſultum iviſſe. Ad calcem των Περιστεφανων adſcripta eſt Ode illa, quam Editor *Parm.* iis praefixit inſtar *Praefationis*, quod in ea dicat *Prudentius*, ſe ſacrare Deo *citos jambicos et rotatiles trochaeos.* Atqui iisdem pedibus aeque utitur in Καθημερινοις. Igitur conſiderari etiam poſſit velut utriusque horum *Librorum* quaedam Peroratio. Caret in Codice noſtro primo verſu: *Immolat Deo patri;* redundat vero in fine ultimus: *Quo regnante* (regente) *vivimus*, quem reſpuit *Parmenſis.* Quid vero, cum plures Codices *mſſ.* illum agnoſcant, ſi primus ille verſus: *Immolat Deo Patri*, adſcititius eſſet? Neque enim repugnaret ſenſus, et Metrum legitime procederet. Ceterum Titulus miniatus hujus Odae nobis eſt: *Incipit de Opuſculis ſuis*, et ad illius calcem additur: *Finit Periſtefanon.*

Fol. 100. *Incipiunt Tituli Hiſtoriarum. Per Adam Et Euam.* Alias Διπτυχον (Gennadio prave Διττοχαιον) Vet. et Nov. Teſtamenti praecipua utriusque monumenta